


Religiosas Ecuménicas De Guadalupe.
Calle San Blas, 19-A Fraccionamiento Campestre Murúa,
Tijuana, Baja California 22450 México.
www.ecumenicasdeguadalupe.org.mx

11

R.M. Blanca Estela López Rojas roeg.

Gramática Latina Elemental para Sacerdotes



Paolo VI in conclusione dell'ultima sessione del Concilio Vaticano II.
Sotto a sinistra: Monsignore Isidro Puente diciottenne, lettore nella cerimonia.
(Wikipedia. Photo public domain).

Obra dedicada al
Ingeniero Sergio Mireles,
A su Señora Esposa
Carmen Márquez
Y a Sus Hijos.

Nihil Obstat.
Mons. Dr. Isidro Puente Ochoa Jr.
Ph.L.,S.S.L.,S.Th.D.
Die 22 Ianuarii 2011
TIGUANAE IN CALIFORNIA
INFERIORI SEPTENTRIONALIS MEXICANAE DITIONIS
ANNO DOMINI MMXI.

1. Generalia et varia.

ARS, recta ratio factibilium, est comprehensio praeceptorum ad utilitatem usui accommodata per artificis sui exercitationem, medendi, ut medici, declamandi, ut rhetoris, legendi, ut grammatici.

Τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων πρὸς τι τέλος εὐχρηστον τῷ βίῳ συνουσῶν.

Dicta est eo, quod artius ad peritiam urgeat pertendentes.

Est rei cuiusque scientia usu uel traditione uel ratione percepta tendens ad usum aliquem uitae necessarium.

Rei cuiusque scientia ad utilitatem delectationemque tendentis usu uel ratione comprehensa.

Ars dicta, quod arto praecepto singula definiat et uelut uias quasdam ostendat; uel ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, unde ueteres artem pro uirtute appellabant.

Ars est unius cuiusque rei scientia summa subtilitate adprehensa.

Ars est summa rerum dictio comprehensarum atque exercitarum ad aliquem uitae finem tendentium.

Ars collectio sive constructio est ex perceptionibus et exercitationibus ad aliquem finem seu exitum utilem uitae pertinens, id est generaliter omne quicquid certis praeceptis ad utilitatem nostram format animos.

ARTIUM GENERA sunt tria.

1. sunt quaedam animi tantum, quaedam corporis, quaedam animi et corporis;
2. animi tantum, ut poetica, musica, astrologia, grammatica, rhetorica, iuris scientia, philosophia;
3. corporis, iaculatio, saltus, uelocitas, oneris gestamen;
4. animi autem et corporis, ruris cultus, palaestra, medicina, mechanica, tectonica.

Quarum grammatica sola litteralis est, ex qua rhetorica et poetica consistunt; idcirco litteralis dicta, quod a litteris incipiat. nam et grammaticus Latine litterator est appellatus et grammatica litteratura, quae formam loquendi ad certam rationem dirigit.

GRAMMATICA est scientia recte scribendi et enunciandi interpretandique poetas per historiam formatam ad usum rationemque uerborum.

Grammaticae est scientia poetas et historicos intellegere, formam praecipue loquendi ad rationem et consuetudinem dirigens. Scientia interpretandi poetas atque historicos et recte scribendi loquendique ratio,

Grammatica est specialiter scientia exercitata lectionis et expositionis eorum quae apud poetas et scriptores dicuntur, apud poetas, ut ordo seruetur, apud scriptores, ut ordo careat uitiiis.

Grammatica ars est spectatiua orationis et poematos.

Scientia emendati sermonis in loquendo et scribendo poematumque ac lectionis prudens praeceptum.

Scientia est rerum quae a poetis, historicis oratoribusque dicuntur ex parte maiore.

Ars grammatica praecipue consistit in intellectu poetarum et in recte scribendi loquendique ratione. grammatica ἀπὸ τῶν γραμμάτων dicta est. unde et Latini a litteris appellauerunt litteraturam, item grammaticum litteratorem.

Haec quot modis discernitur? tribus.
quibus? intellectu poetarum et recte loquendi scribendique ratione.

Huius plerique quot partes tradiderunt? duas.
quas? ἐξηγητικὴν atque ὀριστικὴν.

quae est ἐξηγητική? quae enarrat.
quae ὀριστική? quae definit.

Huic arti quot CONTRARIA opponuntur? tria.
quae sunt ex his, quas ueteres aliis nominibus discreuerunt. κακοτεχνία, ψευδοτεχνία, ματαιοτεχνία.
κακοτεχνία quae est? oratoria. quare κακοτεχνία?
siquidem malitiosa ars est et in id quod persuadere quaerit intenta plerumque ad peruertendam nititur ueritatem.
ψευδοτεχνία item quae est?
quae animos hominum sensusque quadam specie ueritatis inludit, ueluti est pictorum et praestigatorum.
quae est ματαιοτεχνία?
quae difficiles quidem res, non tamen usu necessarias facit, ueluti sunt sphaeropaectae, funambuli ceteraque huius modi.

GRAMMATICUS est qui uniuscuiusque rei uim ac proprietatem potest explanare loquela.

Eius praecipua OFFICIA sunt quattuor, ut ipsi placet: scribere, legere, intellegere, probare.

Artis grammaticae officium constat partibus quattuor,
lectione emendatione enarratione iudicio.

1. LECTIO est uaria cuiusque scripti pronuntiatio seruiens dignitati personarum exprimensque habitum animi cuiusque.

2. EMENDATIO est reorrectio errorum, qui per scriptum dictionemue fiunt.

3. ENARRATIO est obscurorum sensuum quaestionumque narratio.

4. IUDICIUM est quo poemata ceteraque scripta perpendimus et discernimus.

Artis grammaticae INITIA ab elementis surgunt,
elementa figurantur in litteras,
litterae coguntur in syllabas,
syllabis comprehenditur dictio,
dictiones coguntur in partes orationis,
oratio in uirtutes ac uitia descendit.

Vox enim facit litteram,
litterae faciunt syllabam,
syllabae faciunt partes orationis.

VOX est aer ictus sensibilis auditu, uerbis emissa et exacta sensus prolatio.

uox enim aut articulata est aut inarticulata.

1. articulata est quae auditur et percipitur et est interpretabilis intellectum habens uel faciens litteram: articulata uox litteris comprehendi potest.

2. inarticulata est quae audiri potest, intellegi non potest, ut uagitus infantis, balatus ouis, hinnitus equi, mugitus bouis.

LITTERIS praeponenda uox est ideo, quia non littera elementum tribuit uoci, sed uox litteris.

ELEMENTUM est dictum quasi eleuamentum.

LITTERA enim elementum uocis articulatae a quo initium sumitur incrementum.

SYLLABIS enim exprimitur breuis dictio uel numerosa, quae multiplicem conplet orationem. elementum ergo est unius cuiusque rei initium, a quo sumitur incrementum et in quod soluitur.

DICTIONUM GENERA sunt tria. aut enim dramaticos est aut diegematicos aut mictos.

1. dramaticos est, ubi personae solae loquuntur, sicut est prima ecloga bucolicorum;

2. diegematicos est, ubi solus poeta loquitur, ut est in quarta ecloga, cuius principium est «Sicelides Musae»;

3. mictos est, ubi et poeta loquitur et persona, ut secunda ecloga, «formosum pastor».

elementum quid est? unius cuiusque rei initium, a quo sumitur incrementum et in quod resoluitur.

uox igitur, ut diximus, litteris nititur,

litterae syllabis clauduntur,

syllabae in dictionem conueniunt,

dictio orationem auget,

oratio partibus diuisa in uirtutes uitiaeque descendit.

uitia reprehenduntur soloecismo, barbarismo et his quas Graeci κακίας λόγου appellant.

uirtutes uero digeruntur in tropos, schemata, metaplasmos et his similia.

grammaticae officia quot sunt?

quattuor, id est lectio, enarratio, emendatio, iudicium.

lectio quid est?

secundum accentus et sensuum necessitatem propria enuntiatio.

enarratio quid est?

secundum poetae uoluntatem unius cuiusque descriptionis explanatio.

emendatio quid est?

errorum apud poetas et figmentorum reprehensio.

iudicium quid est?

bene dictorum comprobatio.

grammaticae partes sunt duae,

altera quae uocatur exegetice, altera horistice.

exegetice est enarratiua, quae pertinet ad officia lectionis:

horistice est finitiua, quae praecepta demonstrat,

cuius species sunt hae, partes orationis uitia uirtutesque.

tota autem grammatica consistit praecipue intellectu poetarum et scriptorum et historiarum prompta expositione et in recte loquendi scribendique ratione.

grammaticae officia, ut adserit Varro, constant in partibus quattuor, lectione enarratione emendatione iudicio.

lectio est artificialis interpretatio, uel uaria cuiusque scripti enuntiatio seruiens dignitati personarum exprimensque animi habitum cuiusque.

enarratio est obscurorum sensuum quaestionumue explanatio, uel exquisitio per quam unius cuiusque rei qualitatem poeticis glossulis exsoluimus.

emendatio est qua singula pro ut ipsa res postulat dirigimus aestimantes uniuersorum scriptorum diuersam sententiam, uel correctio errorum qui per scripturam dictionemue fiunt.

iudicium est quo omnem orationem recte uel minus quam recte pronuntiatam specialiter iudicamus, uel aestimatio qua poema ceteraque scripta perpendimus.

grammaticae initia ab elementis surgunt,
elementa figurantur in litteras,
litterae in syllabas coguntur,
syllabis comprehenditur dictio,
dictiones coguntur in partes orationis,
partibus orationis consummatur oratio,
oratione uirtus ornatur,
uirtus ad uitanda uitia exercetur.

nunc huius artis, id est grammaticae, omnis dumtaxat Latinitas ex duabus partibus constat, hoc est ex analogia et anomalia, et ideo utriusque partis rationem subicimus.

quot sunt partes grammaticae?
duae.

quae?
prima est quae scribitur per metaphoram et antiphoram, id est, per interrogationem et responsionem; quae data est paruulis et infantulis tantum ut possint scire quemadmodum sit ars, ut plerumque infantes memoria sequantur non tantum responsionem, quoniam infantes debent non solum intellegere, sed etiam respondere secundum intellectum, eo quod nihil habeat difficultatis; quae definitur ab octo partibus orationis, id est, a nomine, a pronomine, a uerbo, ab aduerbio, a participio, a coniunctione, a praepositione, et ab interiectione.

secunda est pars et ipsa uberius modicum habens difficultatis, quomodo interrogare et respondere possint, quae data est maioribus et minoribus.
est enim utilis atque robusta, et incipit a littera, quae et uberius est. nam illa pars prior nihil habet difficultatis.

ista uero, de litteris, de syllabis, et de accentibus, habet modicam difficultatem. reliqua plana sunt, id est, sine difficultate.

DE ANALOGIA incipit tractare de analogia.

dicit plane: quotienscumque uis nomina declinare, sequere analogiam.

quae est analogia?

comparatio similitum. Latine proportio dicitur: analogia Graece, Latine proportio. sed ita illum definit, analogia est comparatio.

fit octo modis: ut sint sex illae partes quae accidunt nomini similes;

sex autem accidunt nomini ista,

qualitas

comparatio

genus

numerus

figura

casus,

ecce sex partes:

exitus syllabarum ut sit similis; puta illud in us exit et illud in us: paenultimarum ratio ut sit similis, ut aut uocales syllabae sint aut consonantes: deinde ut tempora sint similia; si illa breuis est, et illa breuis sit. de istis omnibus rebus si unum minus fuerit, iam non stat analogia; de his rebus, quae positae sunt apud Caesarem, siquid minus fuerit, iam non stabit ratio analogiae. ait enim Caesar: nisi omnia consentiant inter se, non potest fieri ut nominis similitudo sit. puta doctus et aptus: ecce hoc nomen omni parte consentit, idcirco et similiter declinatur. doctus cuius QUALITATIS est? appellatiuae, et aptus qualitatis est appellatiuae; ecce similitudo.

doctus COMPARATIONEM recipit, doctior doctissimus, et aptus comparationem recipit, aptior aptissimus; ecce congruit comparatio.

GENUS: doctus generis masculini est, aptus generis masculini est, et utrumque mobile: nam hoc in genere sequimur, et genus et mobilitatem, doctus docta doctum, aptus apta aptum.

NUMERI singularis, hic doctus, hic aptus. figura simplex, doctus simplex, aptus simplex.

CASUS est nominatiuus, hic doctus, hic aptus. exitus syllabarum: et illud in us exit et illud in us, aptus, doctus.

paenultimarum consonantium ratio: duas habet illud consonantes doctus, c et t, et aptus duas habet consonantes, p et t; ergo duae sunt consonantes in illo nomine, et in illo nomine duae sunt consonantes.

deinde ratio temporum: breuis est doctus, et aptus breuis est.

ideo similiter declinatur, hic doctus hic aptus, huius docti huius apti, huic docto huic apto, hunc doctum hunc aptum, et ex ordine omnes casus similes sunt.

da unum aliquod nomen, ubi uel una res discrepet, et iam non sequitur ratio declinationis. ut puta lepus et lupus, in ista omnia consentiunt, una re tantum fiunt dissentientes.

ceterum lepus qualitatis appellatiuae, et illud similiter corporale: comparationem non recipit lepus, nec illud comparationem recipit lupus: casus nominatiuus, figura simplex, numerus singularis, idem exitus, lepus lupus: eadem consonantes; una est illic consonans, et illic una est consonans: eadem ratio temporum; breuis est illa, et illa breuis est. et lepus declinamus hic lepus huius leporis huic lepori, hic lupus huius lupi huic lupo. genus: hic lepus dicimus et hic lepus; sed unum discrepat, mobilitas, quam diximus esse seruandam, lepus facit lupa, lepus non facit lepa. discrepauit in genere, et propter

discrepantiam generis mutata est declinatio. ergo est quod dixit, nomina ad omnem similitudinem esse declinanda.

ceterum si una res defuerit, scire debemus quoniam non stat ratio declinationis.

ANALOGIA est ratio recta perseuerans per integram declinationis disciplinam, ut puta hic Catilina, haec lupa, hoc scrinium et cetera talia; scilicet quoniam haec nomina sic per omnes casus secundum sua genera in declinatione perseuerant, sic uti est analogiae recta declinationis disciplina.

ANOMALIA est miscens uel inmutans aut deficiens ratio per declinationem. de miscente. miscens anomaliae per declinationem ratio est ut puta ab hoc altero, huic alteri; scilicet quoniam quaecumque nomina ablatiuo casu numeri singularis o littera terminantur, haec secundum analogiae rectam rationis disciplinam datiuo casu numeri singularis o littera definiuntur. item ab hac mula, his et ab his mulabus; scilicet quoniam quaecumque nomina ablatiuo casu numeri singularis a littera terminantur, haec secundum analogiae rectam rationis disciplinam datiuo et ablatiuo casu numeri pluralis is litteris definiuntur. item ab hoc iugero, horum iugerum; scilicet quoniam quaecumque nomina ablatiuo casu numeri singularis o littera terminantur, haec secundum analogiae rectam rationis disciplinam genetiui casu numeri pluralis orum litteris definiuntur. sic et cetera talia, quae contra analogiae rectam rationis disciplinam miscent per casus declinationum formas, anomala sunt appellanda. de inmutante. inmutans anomaliae per declinationem est ratio, ut puta hic Iuppiter, huius Iouis.

sic et cetera talia, quae contra analogiae rectam rationis disciplinam inmutant per casus declinationum formas, anomala sunt appellanda.

DEFICIENS anomaliae per declinationem est ratio, ut puta hoc nefas et cetera talia; scilicet quoniam haec contra analogiae rectam rationis disciplinam non per omnes casus in declinatione perseuerant. sic iam et per ceteras partes orationis analogia uel anomalia consideranda est, hoc est ut, quaecumque pars orationis neque miscet neque inmutat aut deficit per declinationis disciplinam, ad analogiam pertineat, quae uero miscet uel inmutat aut deficit per declinationis disciplinam, anomala sit appellanda. nunc etiam hoc monemus, quod analogia maximam partem orationis contineat, anomalia uero aliquam. de anomalia et analogia, quantum ratio poscebat, tractauimus.

DE MEMORIA memoria est uelox animi et firma perceptio, cuius facultatem fouet exercitatio lectionis enarrationisque intentio, stili cura, redditio sollicita et diligens et iteratio atque repetitio frequens]

DE LECTIONE partes lectionis quot sunt? quattuor, id est accentus, discretio, pronuntiatio, modulatio. accentus quid est? unius cuiusque syllabae in sono pronuntiandi qualitas. discretio quid est? confusarum significationum per plana significatio. pronuntiatio quid est? scriptorum secundum personas accommodata distinctione similitudo, ut puta cum aut senis temperamentum aut iuuenis proteruitas aut feminae infirmitas aut qualitas cuiusque personae distinguenda est et mores cuiusque habitus exprimendi. modulatio quid est? continuati sermonis in iucundiolem dicendi rationem artificialis flexus in delectabilem auditus formam conuersus asperitatis uitandae gratia.

DE DITIONE dictio est ex syllabis finita cum significatione certa locutio, ut est dico facio. quaedam dictiones sunt simplices [simplices], ut facio, quaedam compositae, ut conficio. ex compositis dictionibus quaedam fiunt ex duobus imperfectis, ut sinciput, cum intellegatur sematum caput,

quaedam ex imperfecto et integro, ut est cismare, quo significatur citra mare; quaedam ex integro et imperfecto, ut est cornucen, ut intellegatur cornu canens; quaedam ex duobus integris, ut est sacrauia. dictio est uox articulata cum aliqua significatione ex qua instruitur oratio et in quam resoluitur: uel sic, dictio est ex syllabis finita cum significatione certa locutio, ut est dico facio. quaedam dictiones sunt simplices, ut facio, quaedam compositae, ut conficio. ex compositis dictionibus quaedam fiunt ex duobus imperfectis, ut est sinciput, cum intellegatur sematum caput; quaedam ex imperfecto et integro, ut est cismare, quo significatur citra mare; quaedam ex integro et imperfecto, ut est cornucen, ut intellegatur cornu canens; quaedam ex duobus integris, ut sacrauia.

DICTIONE est uox articulata cum aliqua significatione ex qua instruitur oratio et in quam resoluitur: uel sic, dictio est ex syllabis finita cum significatione certa locutio, ut est dico facio. quaedam dictiones sunt simplices, ut facio, quaedam compositae, ut conficio.

ex compositis dictionibus quaedam fiunt ex duobus imperfectis, ut est sinciput, cum intellegatur sematum caput; quaedam ex imperfecto et integro, ut est cismare, quo significatur citra mare; quaedam ex integro et imperfecto, ut est cornucen, ut intellegatur cornu canens; quaedam ex duobus integris, ut sacrauia.

DICTIONE est ex syllabis finita cum significatione certa locutio, ut est dico facio. quaedam dictiones sunt simplices, ut facio, quaedam compositae, ut conficio.

ex compositis dictionibus

1. quaedam fiunt ex duobus imperfectis, ut sinciput, cum intellegatur sematum caput;
2. quaedam ex imperfecto et integro, ut est cismare, quo significatur citra mare;
3. quaedam ex integro et imperfecto, ut est cornucen, cum intellegatur cornu canens;
4. quaedam ex duobus integris, ut est omnipotens.

Dictio est pars minima orationis constructae, id est in ordine compositae: pars autem, quantum ad totum intellegendum, id est ad totius sensus intellectum; hoc autem ideo dictum est, ne quis conetur uires in duas partes diuidere, hoc est in ui et res, uel quaedam huiuscemodi. non enim ad totum intellegendum haec fit diuisio.

differt autem dictio a syllaba, non solum quod syllaba pars est dictionis, sed etiam quod dictio dicendum, hoc est intellegendum, aliquid habet.

SYLLABA autem non omni modo aliquid significat per se: ergo monosyllabae dictiones possunt quodammodo esse et syllabae, non tamen sincere, quia numquam syllaba per se potest aliquid significare: hoc enim proprium est dictionis. unde si dicam a, per se scio esse syllabam, nec tempora tamen eius nec tenorem nec spiritum nec significationem agnosco, donec cognouero dictionem, in qua ponitur. nam in ara deorum a paenultima producitur et circumflectitur in nominatiuo nec habet aspirationem, cum autem significat stabulum porcorum, eadem syllaba paenultima corripitur et acuitur et habet aspirationem; haec eadem a, quando est praepositio, grauat et producitur et est sine aspiratione. uides ergo per se ipsam syllabam deficere praedictorum ratione nec aliter posse examussim tractari, nisi posita sit in dictione.

DE PRONUNTIATIONE pronuntiatio est scriptorum secundum personas accommodata distinctione similitudo, cum aut senis temperamentum aut iuuenis proteruitas aut feminae infirmitas aut qualitas cuiusque personae ostendenda est et mores cuiusque habitudinis exprimendi. de modulatione modulatio est continuati sermonis in iocundiolem dicendi rationem artificialis flexus in delectabilem auditus formam conuersus asperitatis atque inperitiae uitandae gratia.

DE LATINITATE Latinitas quid est? observatio incorrupte loquendi secundum Romanam linguam. quot modis constat Latinitas? tribus.

quibus? ratione, auctoritate, consuetudine.

1. ratione quatenus? secundum artium traditores.

2. quid auctoritate? ueterum scilicet lectionum.

3. quid consuetudine? eorum quae e medio loquendi usu placita adsumptaque sunt.

Latinitas est observatio incorrupte loquendi secundum Romanam linguam.

constat autem modis tribus, id est ratione auctoritate consuetudine;

ratione secundum artem,

auctoritate secundum eorum scripta, quibus ipsa est auctoritas attributa,

consuetudine secundum ea quae loquendi usu placita adsumptaque sunt

Latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam. constat autem, ut adserit Varro, his quattuor, natura analogia consuetudine auctoritate. natura uerborum nominumque inmutabilis est nec quicquam aut minus aut plus tradidit nobis quam quod accepit. nam si quis dicat scribo pro eo quod est scribo, non analogiae uirtute sed naturae ipsius constitutione conuincitur. analogia sermonis a natura proditi ordinatio est secundum technicos neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat. consuetudo non ratione analogiae sed uiribus par est, ideo solum recepta, quod multorum consensione conualuit, ita tamen ut illi artis ratio non accedat sed indulgeat. nam ea e medio loquendi usu placita adsumere consuevit. auctoritas in regula loquendi nouissima est. namque ubi omnia defecerint, sic ad illam quem ad modum ad ancoram decurritur. non enim quicquam aut rationis aut naturae aut consuetudinis habet, cum tantum opinione secundum ueterum lectionem recepta sit nec ipsorum tamen, si interrogentur cur id secuti sunt, scientium.

DE UOCE uox quid est? aër ictus auditu sensibilis.

uocis species quot sunt? duae.

quae sunt? articulata et confusa.

articulata quae est? hominum tantum modo.

unde articulata dicta est? quod articulo scribentis comprehendi possit.

quae est confusa? quae scribi non potest, ut puta uelut ouium balatus, equi hinnitus, mugitus bouis.

praeter has nullae aliae uoces sunt? sonos quoque omnes uoces dicimus, ut «fractasque ad litora uoces».

uox corporalis est, an incorporealis? secundum Stoicos corporalis, qui eam sic definiunt, ut nos in principio respondimus. Plato autem non esse uocem corpus putat: «non enim percussus 'inquit' aër, sed plaga ipsa atque percussio, id est uox». Democritus uero ac deinde Epicurus ex indiuicis corporibus uocem constare dicunt, corpus autem esse aut efficiens aut patiens.

Vox est aer ictus, sensibilis auditu, quantum in ipso est.

omnis uox aut articulata est aut confusa.

articulata est, quae litteris comprehendi potest;

confusa, quae scribi non potest.

uox est, ut stoicis uidetur, spiritus tenuis auditu sensibilis, quantum in ipso est. fit autem uel exilis aurae pulsus uel uerberati aeris ictu. omnis uox aut articulata est aut confusa.

articulata est rationalis hominum loquellis explanata.

eadem et litteralis uel scriptilis appellatur, quia litteris comprehendi potest.

confusa est irrationalis uel inscriptilis, simplici uocis sono animalium effecta, quae scribi non potest, ut est equi hinnitus, tauri mugitus.

quidam etiam modulata uocem addiderunt tibiae uel organi, quae, quamquam scribi non potest, habet tamen modulata aliquam distinctionem.

unde quidam uocis tria officia designant, eloquium tinnitum sonum.

eloquium est humanae pronuntiationis expressa significatio facili mentibus efficiens intellectum;

tinnitus est fabricatae materiae inlisis tenui sono auditionem acuens;

sonus est corporalis conlisis repentini auribus inferens fragorem.

quid quod ueteres omnes sonos uoces dixerunt? ut «fractasque ab litore uoces».

eas enim uoces quamquam intelligimus de quo sint uolucres profectae tamen inarticulatae dicuntur. quia uox ut superius diximus inarticulata est quae a nullo affectu proficiscitur mentis.

de uoce philosophi definiunt, uocem esse aerem tenuissimum ictum uel suum sensibile aurium, id est quod proprie auribus accidit.

et est prior definitio a substantia sumpta, altera uero a notione, quam Graeci ἔννοια dicunt, hoc est ab accidentibus.

accidit enim uoci auditus, quantum in ipsa est.

uocis autem differentiae sunt quattuor: articulata, inarticulata, literata, illiterata.

articulata est, quae coartata, hoc est copulata cum aliquo sensu mentis eius, qui loquitur, profertur.

inarticulata est contraria, quae a nullo affectu proficiscitur mentis.

literata est, quae scribi potest,

illiterata, quae scribi non potest.

inueniuntur igitur quaedam uoces articulae,

quae possunt scribi et intellegi, ut: «arma uirumque cano»,

quaedam, quae non possunt scribi, intelleguntur tamen, ut sibili hominum et gemitus: hae enim uoces, quamuis sensum aliquem significant proferentis eas, scribi tamen non possunt.

aliae autem sunt, quae, quamuis scribantur, tamen inarticulae dicuntur, cum nihil significant, ut coax, cra.

aliae uero sunt inarticulae et illiteratae, quae nec scribi possunt nec intellegi, ut crepitus, mugitus et similia.

scire autem debemus, quod has quattuor species uocum perficiunt quattuor superiores differentiae generaliter uoci accidentes, binae per singulas inuicem coeuntes.

uox autem dicta est uel a uocando, ut dux a ducendo, uel ἀπό τοῦ βῶν, ut quibusdam placet.

uox siue sonus est aer ictus, id est percussus, sensibilis auditu, quantum in ipso est, hoc est quam diu resonat.

nunc omnis uox siue sonus aut articulata est aut confusa.

articulata est, qua homines locuntur et litteris comprehendi potest, ut puta scribe Cicero, Vergili lege et cetera talia.

confusa uero aut animalium aut inanimalium est, quae litteris comprehendi non potest.

animalium est ut puta equorum hinnitus, rabies canum, rugitus ferarum, serpentum sibilus, auium cantus et cetera talia;
inanimalium autem est ut puta cymbalorum tinnitus, flagellorum strepitus, undarum pulsus, ruinae casus, fistulae auditus et cetera talia.

est et confusa uox siue sonus hominum, quae litteris comprehendi non potest, ut puta oris risus uel sibilatus, pectoris mugitus et cetera talia.

uox est aer ictus auditu percipibilis, quantum in ipso est.
Graeci qualiter?
ἀήρ πεπληγμένος αἰσθητὸς ἀκοῆ, ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ ἔστιν.

uocis formae sunt duae, articulata et confusa.
articulata est quae audita intellegitur et scribitur et ideo a plerisque explanata, a nonnullis intellegibilis dicitur.

hanc Graeci quid appellant? ἔναρθρον φωνήν.
huius autem species quot sunt? duae.
quae?

nam aut musica est, quae tibiis uel tuba redditur aut quolibet organo,
aut communis, qua promiscue omnes utuntur.
confusa autem est quae nihil aliud quam simplicem uocis sonum emittit, ut est equi hinnitus, anguis sibilus, plausus, stridor et cetera his similia.
alii eam quae dicitur in usu articularis litteralem dixerunt, ut nomina, uerba, aduerbia et ceteras partes orationis.
omne autem explanatiuarum uocum initium et indiuidua uox est littera, ex qua articulata uox existit et in quam ultimam resoluitur; unde consequens est ut de littera dicamus.

sed prius est ut elementum et dictionem et orationem definiamus.

ELEMENTUM est uniuscuiusque rei initium,
dictio figura significantium uocum aut initium a quo sumit incrementum et in quod resoluitur oratio,
oratio est dictio significans uel compositio dictionum significantium consummans unam sententiam.

DE GENERIBUS LOCUTIONUM genera locutionum sunt quinque, rationale artificiale historicum glossematicum commune.

de qualitate locutionum quinque sunt linguae Graecorum, las Doris Atthis Aeolis coene.
iuxta has igitur quinque linguas et Latina uerba comprehensa colliguntur hoc modo.

ias relictis propriis utitur similibus quasi propriis nominibus ac uersatur in omnibus tropis.
Doris in singulis partibus orationis nunc adiectioni nunc breuitati studens barbarismos facit [qui barbarismi metaplasmi appellantur], quos cum sibi uindicauerint docti, metaplasmos appellant, ut «Teucrum mirantur inertia corda» pro Teucrorum, et «aggere moerorum» et «aulai medio».
Atthis, quae breuitati studet, admittit soloecismos, quos cum docti fecerint, non soloecismi sed schemata logu appellantur, ut est «nuda genu» et «urbem quam statuo uestra est». ibi enim nudum

genu habens debuit dicere et urbs quam statuo uestra est. sed seruiens schemati quod appellatur Hellenismos tres partes orationis redegit in duas usus per Atticismon.

Aeolis ultra modum copiosa est et amat per circuitum uerba protendere et periphrasi res explicare ac per hoc πλεονάζει; cuius uitium schema dianoeas appellatur.
coene communis est, in qua omnes idem sentimus.

DE DEFINITIONE definitio quid est? oratio quae id de quo quaeritur aperte describit et determinat, ut puta ueluti si quaeras a me, quid sit homo, respondebo: animal mortale rationale risus capax.
definitio est oratio quae quid sit de quo agitur ostendit quam breuissime
SENTENTIA quid est? dictio generalis ad uitae rationem in commune pertinens, ut puta ueluti ne quid nimis.
definitio est oratio quae id de quo quaeritur aperte describit et determinat. Cicero sic eam definit, «definitio est oratio quae quid sit de quo agitur ostendit quam breuissime».

DE LITTERIS

LITTERA est minima pars uocis explanatae.

litterarum aliae uocales sunt, aliae consonantes:

uocales quinque, a e i o u:

consonantium

aliae semiuocales, septem f l m n r s,

aliae mutae, nouem b c d g h k p q t.

item h in earum numerum redigitur, quando non aspirationis, sed litterae loco ponitur.

littera tribus modis intelligitur,
nomine quo enunciat,ur,
potestate qua ualet,
figura qua scribitur
et ordine quo constat.

SYLLABA est litterarum inter se coeuntium una iunctura uel enunciatio litterarum cum adiectione temporis.

syllaba autem sine uocali littera uel litteris non potest fieri.

syllabarum aliae longae, aliae breues.

longae aut natura fiunt aut positione et habent bina tempora.

natura duobus modis intelligitur, cum uocalis per se longa est, aut cum uocales duae inter se iunctae producuntur, ut ae.

positione longae syllabae fiunt modis octo:

primo modo, quoties desinit in consonantem et excipitur ab altera consonante, ut «arma uirumque cano». ar enim natura breuis est, tamen positione fit longa, quia desinit in consonantem r et excipitur a consonante m: ita arma ui dactylus, qui constat ex longa et duabus breuibis.

secundo modo fit longa syllaba, quoties desinit in duas consonantes, ut «ast ego, quae diuum incedo regina louisque». ast enim positione longa est, quia desinit in s et t ambas consonantes.

tertio modo longa syllaba est positione, quoties excipitur a duabus consonantibus, ut «Atrides Proti»: nam etsi A correpta est, tamen positione fit longa, quia sequuntur t et r:

quarto modo, quoties desinit syllaba in duplicem litteram, ut «ex illo celebratus honor»:

quinto, quoties syllaba excipitur a duplici littera, ut «exulibusne datur ducenda Lauinia Teucris»:

sexto, quoties excipitur a uocali consonantis loco posita, ut «at uero ingentem quatiens Mezentius hastam»:

septimo, quoties desinit syllaba in uocalem loco consonantis positam et excipitur a consonante, ut «audieras et fama fuit»:

octauo modo, quoties syllaba excipitur a uocali consonantis loco posita, ut «Troiaque nunc stares Priamique arx alta maneres». breues sunt syllabae, quae uocali correpta efferuntur et habent tempora singula.

PARTES ORATIONIS sunt octo, nomen pronomen uerbum aduerbium participium coniunctio praepositio interiectio.

de maioribus partibus orationis primo libro de expositione octo partium orationis disputatum est. hoc uero libro artium opportunum duximus ad locum, quo modo exposita sunt, ordine recurrere. partes orationis apud Graecos totidem sunt, quot et apud Latinos, qui articulum non habent. Graeci enim pronomen ab articulo differunt, ita ut una pars sit pronomen, alia articulus; sed non adnumerant interiectionem, non eam recipiunt numero. de omnibus partibus orationis declinabiles sunt per casus tres, nomen pronomen et participium; uerbum autem per modos tempora personasque decurrit. casus dicti sunt, quod per eos omnia in declinatione cadunt. unde quidam casus quinque esse putant, excepto nominatiuo: hic enim rem proponit, non flectit: ceteri uero, quia flectunt [cadunt], casus recte appellantur. nominatiuus dictus est, quod per eum nominare nos aliquid significemus, ut hic magister; genitiuus casus dictus est, quod per eum genus cuiusque uel rem significemus, ut huius magistri; datiuus, quod per eum dare nos aliquid alicui significemus, ut huic magistro; accusatiuus, quod per eum accusare nos aliquem significemus, ut hunc magistrum; uocatiuus, quod per eum uocare nos aliquem significemus, ut o magister; ablatiuus, quod per eum auferre nos ab aliquo aliquid significemus, ut ab hoc magistro. de principalibus partibus orationis. inter principium et initium hoc interest: principium est prima pars libri, ut «arma uirumque cano Troiae»; initium autem aliqua pars incipiens a multis modis. unde Scaurus initium, a quo sumitur incrementum: a persona initium, ut «Turne, in te suprema salus»; a potestate personae, ut «Aeole, namque tibi pater atque hominum rex / emulcere dedit fluctus»; ab exclamatione, ut «pro Iuppiter, ibi hic ait»; a tempore, ut «tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris / incipit»; et «nox erat et terris a(nimalia) s(omnus) h(abebat)»; a loco, ut «est locus Hesperiam G(rai) c(ognomine) d(icunt)»; a similitudine, ut «qualis apes aestate n(oua) p(er) f(lorea) r(ura)»; a cohortatione, ut «quis globus, o ciues, caligine uoluitur atra / ferte c(iti) f(errum), d(ate) t(ela), a(scendite) m(uros), / h(ostis) a(dest), h(eia)»; a deprecatione, ut «per patrios manes, per spes surgentis luli / te precor» et similia.

NOMEN est pars orationis qua res quaeque appellatur, siue est animalis, ut homo Cato, siue inanimalis, ut arbor lapis, siue etiam incorporalis, ut perfidia clementia. nomini accidunt quinque, qualitas genus numerus figura casus.

qualitas nominum bipertita est: aut enim propria sunt nomina aut appellatiua. propriorum alia praenomina dicuntur, ut Gaius Marcus, alia gentilia, ut Iulius Porcius, alia cognomina, ut Caesar Cato, alia agnomina, ut Numidicus Germanicus.

sunt et unica, ut Romulus, et bina, ut Paris Alexander, et quae omnia unius sunt, ut Publius Cornelius Scipio Africanus.

appellatiuorum alia animalia dicuntur, ut homo bos, alia inanimalia, ut arbor lapis, alia incorporalia, ut sapientia prudentia; alia gentem significant, ut Gallus Graecus, alia numerum, ut duo tres, alia ordinem, ut secundus tertius; alia sunt primae positionis, ut ager capra, alia deriuatiua, ut agrarius caprarius, alia diminutiua, ut catulus catellus, alia ad aliquid, ut pater mater, alia qualitatis, ut sapiens doctus, alia quantitatis, ut longus latus.

in quibus duobus frequentissime comparatio et superlatio spectatur. est enim absolutum, ut doctus longus, comparatiuum, ut doctior longior, superlatiuum, ut doctissimus longissimus.

genera nominum sunt quinque, masculinum, ut hic Cato, femininum, ut haec Porcia, neutrum, ut hoc scamnum, commune aut duobus generibus, ut hic et haec fortis, aut tribus, ut hic et haec et hoc elegans, promiscuum, in quo aut masculina sunt semper, ut coruus turdus, aut semper feminina, ut aquila cornix.

numeri accidunt duo, singularis, ut hic Cato, pluralis, ut hi Catones, communis, ut dies nubes. sunt quaedam nomina semper singularia, ut aurum oleum, quaedam semper pluralia, ut Puteoli Saturnalia;

alia forma singularia, sed ui pluralia, ut populus exercitus,
aut contra forma pluralia, sed ui singularia, ut idus nonae.

figura nominum duplex est:
aut enim simplicia sunt nomina, ut probus,

aut composita, ut improbus.
componuntur autem nomina modis quatuor:
aut enim integra corruptis iunguntur, ut insulsus,
aut corrupta corruptis, ut armiger, aut integra integris, ut inpotens, aut corrupta integris, ut armipotens.

casus nominum sunt sex,
nominatiuus, ut hic Cato,
genitiuus, ut huius Catonis,
datiuus, ut huic Catoni,
accusatiuus, ut hunc Catonem,
uocatiuus, ut o Cato,
ablatiuus, ut ab hoc Catone.

addunt et septimum casum, ueluti cum dicimus nos: terra uel mari uectos, qui speciem ablatiui habet,
nec tamen est. ipse enim aliquotiens per accusatiuum liquidius explicatur, non utique terra uel mari
uectos, sed per terram uel mare uectos. ex hoc sensu est «multum ille et terris iactatus et alto».

sunt quaedam nomina quae non flectuntur in uarios casus declinata, sed una appellatione per omnes
articulos efferuntur, ut frugi nequam, quae Graeci monoptota appellant.
sunt quae declinationem omnino in quosdam casus non recipiunt, ut fas nefas tantum per
nominatiuum et sponte tantum per ablatiuum in usu habentur.

PRONOMEN est pars orationis quae idem quod nomen, sed minus plene significat.

pronomini accidunt qualitas significatio positio genus numerus ordo figura persona casus.

qualitas est, quia sunt aut infinita pronomina, ut quis, aut finita, ut ipse.

significatio pronominum in octo partes diuisa est:
aut enim personam significant, ut quis quae,
aut rem, ut hoc istud,
aut gentem, ut cuias nostras,
aut numerum, ut quot tot,
aut ordinem, ut quotus totus,
aut qualitatem, ut qualis talis,
aut quantitatem, ut quantus tantus,
aut ad aliquid; quorum quaedam aut utraque singularia sunt, ut meus tuus, aut utraque pluralia, ut
nostri uestri, aut extrinsecus singularia, ut noster uester, aut intrinsecus pluralia, ut mei tui.

positio est, qua spectatur,

utrum interrogatiua sint pronomina, ut quis uter,
aut responsiua, ut hic iste,
aut segregatiua, ut quisquis uterque,
aut priuatiua, ut nequis neuter nemo nihil.

numerus pronomini accedit
singularis, ut ego quis,
pluralis, ut nos quanti,
communis, ut quae quanta.

numerus apud Graecos propter dualem numerum motus habet nouem, in sermone nostro quatuor:
aut enim unum unius significamus, ut meus tuus,
aut multos multorum, ut nostri uestri,
aut unum multorum, ut noster uester,
aut multos unius, ut mei tui.

ordo accedit pronomini:
nam aut praepositiua sunt pronomina, ut quis quantus,
aut subiunctiua, ut is tantus.

figura pronominum duplex est:
aut simplicia sunt pronomina, ut ego tu,
aut composita, ut egomet tumet.

persona,
prima, ut me mihi,
secunda, ut te tibi,
tertia, ut se sibi.

persona finitis tantum pronomini accedit, infinitis numquam.

casus sunt sex,
nominatiuus, ut quantus,
genitiuus, ut quanti,
datiuus, ut quanto,
accusatiuus, ut quantum,
ablatiuus, ut quanto:
uocatiuus rarus est, sed tamen inuenitur ab eo quod est meus o meus.

UERBUM est pars orationis actum aut passiuam cum tempore et persona significans.
uerbo accidunt qualitas significatio numerus figura tempus persona coniugatio.

qualitates sunt quinque,
finita, ut lego,
imperatiua, ut lege,
optatiua, ut utinam legerem,
adiunctiua, ut cum legam,
infinitiua, ut legere.

significationes sunt quinque,
actiua, ut lego;
passiua, ut legor;
neutra, quae habet speciem actiuae, sed non habet uim, quia non habet passiuitatem, ut curro;
deponens, quae habet speciem passiuae, sed non habet uim, quia non habet actiuitatem, ut suspicor;
communis, quae et agendi et patiendi pariter obtinet interpretationem, ut consolor illum et consolor ab illo.

numeri duo, singularis, ut lego, pluralis, ut legimus.

figurae sunt septem,
simplex, ut lego,
composita, ut relego,
incohatiua, ut calesco,
frequentatiua, ut lectito,
desideratiua, ut dormito,
impersonalis, ut piget taedet, et alterius formae, ut statur,
paragoga, ut facesso lacesso capesso.

tempora sunt tria,
praesens, ut lego,
praeteritum, ut legi,
futurum, ut legam.

praeteriti gradus sunt tres,
imperfectus, ut legebam,
perfectus, ut legi,
plusquamperfectus, ut legeram

futuri gradus sunt duo,
perfectus, ut legam,
plusquamperfectus, ut legero.

personae sunt tres,
prima, ut lego,
secunda, ut legis,
tertia, ut legit.

coniugationes sunt quatuor,
prima, si quando uerbum finita qualitate singulari numero praesenti tempore secunda persona per a et s litteras enunciat, ut laudas;
secunda, cum idem uerbum e et s litteris terminatur, ut sedes;
tertia, cum idem uerbum i et s litteris exit, ut curris, aut producta, ut uenis;
quarta, cum alio quolibet modo uerbum effertur, ut odisti meministi.

ADUERBIUM est pars orationis quae uerbi uim explicat, ut scribo bene.

aduerbio accidit significatio positio figura qualitas quantitas.

significatio est in aduerbiis, cum spectamus quid significant.
nam aut locum ostendunt, aut tempus aut numerum aut ordinem.

locum significantia aduerbia
aut in loco sunt, ut intus,
aut ad locum, ut intro,
aut per locum, ut hac,
aut e loco, ut hinc.

tempora quae significant aduerbia
aut infinita sunt, ut aliquando nuper iam alias iampridem quondam,
aut finita, ut hodie cras perendie,
aut in confuso finita, ut olim mox tandem saepe subito repente,
aut perfecta in confuso, ut cotidie semper interea,
aut sunt praesentia, ut cummaxime nunc.

numerus significantia aduerbia. ut semel bis ter, aut ordinem, ut iterum tertio quarto.
sunt aduerbia aut negandi, ut non,
aut prohibendi, ut ne,
aut promittendi, ut etiam quidni,
aut demonstrandi, ut en ecce,
aut optandi, ut utinam,
aut interrogandi, ut cur quid quare nempe,
aut similitudinis, ut ita perinde ueluti ceu itidem quasi qualiter taliter,
aut dubitandi, ut fortasse;
aut personaliter fiunt, ut mecum tecum,
aut electiue, ut potius,
aut discretiue, ut seorsum,
aut congregatiue, ut una pariter simul,
aut declinatiue, ut funditus, et quae his proxima sunt, ut meatim tuatim raptim sensim corneliatim tractim;

aut sunt hortandi, ut heia,
aut uocandi, ut heus,
aut respondendi, ut heu;
aut euentum significant, ut forte fortuitu;
aut ab animo sumuntur, ut sapienter docte,
aut a corpore, ut ualenter,
aut extrinsecus, ut bene fortunate nobiliter;
aut modum significant, ut satis largiter nimis parumper plene uaste.

positio accidit aduerbiis, cum
quaedam praepositiua sunt, ut qualiter,
quaedam subiunctiua, ut taliter.

figura aduerbiorum duplex est:
aut enim simplicia sunt aduerbia, ut probe,

aut composita, ut improbe.

qualitas et quantitas accidunt aduerbio, cum
aut absoluta sunt aduerbia, ut bene alte,
aut comparatiua, ut melius altius,
aut superlatiua, ut optime altissime.

PARTICIPIUM est pars orationis partem a nomine, partem a uerbo capiens:
a nomine genus et casum,
a uerbo tempora et significationes,
ab utroque numerum et figuram.

participio accidunt sex, significatio tempus figura genus numerus casus.

significationes sunt quinque,
actiua, quae habet duo tempora, praesens et futurum, ut legens lecturus (nam semper caret praeterito);
passiua, quae habet duo tempora, praeteritum et futurum, ut lectus legendus (nam praesens non habet);
neutra, quae habet praesens et futurum, ut ueniens uenturus;
deponens, quae habet tria tempora, praesens praeteritum et futurum, ut suspicans suspicatus suspicaturus;
communis, quae habet tempora quatuor, praesens praeteritum et duplex futurum, ut consolans consolatus consolaturus consolandus.

tempora participiis accidunt tria,
praesens, ut legens,
praeteritum, ut lectus,
futurum, ut lecturus et legendus.

animaduertendum autem de temporibus est et significationibus participiorum, quod neque actiua aut neutra praeterita nec passiua praesentia reperiuntur.

figurae sunt duae,
simplex, ut legens,
composita, ut relegens.

genera sunt quatuor,
masculinum, ut lectus,
femininum, ut lecta,
neutrum, ut lectum,
commune, ut legens.

numeri sunt duo,
singularis, ut legens,
pluralis, ut legentes.

casus sunt sex,
nominatiuus, ut legens,
genitiuus, ut legentis,

datiuus, ut legenti,
accusatiuus, ut legentem,
uocatiuus, ut o legens,
ablatiuus, ut a legente.

CONIUNCTIO est pars orationis copulans ordinansque sententiam.

coniunctioni accidunt uis figura ordo.

uis est, cum
aut complectendi sunt coniunctiones, ut et que atque,
aut disiungendi, ut uel nec aut neue ceterum,
aut dubitandi, ut siue seu siquidem,
aut repetendi, ut sed,
aut ad aliquid, ut magis;
aut rationales sunt, ut quia ideo propterea enim,
aut uincunt, ut immo,
aut consentiunt, ut etiam,
aut comparant, ut tam,
aut subiciunt sententiam, ut equidem enimuero,
aut compellunt, ut saltem tamen uidelicet,
aut concludunt: quarum tres species sunt,
relatiuae, ut quamquam quamuis etsi,
praelatiuae, ut si sin;
sunt et mediae, hoc est quae et incohant sententiam et includunt, ut et atque, quas generaliter complecti diximus:

aut connexiuae sunt coniunctiones, ut igitur ergo proinde itaque praesertim quatenus,
aut rationatiuae, ut quoniamquidem quandoquidem,
aut supernexiuae, ut similiter.

nam omnes nominibus suis designari non possunt propter multitudinem generum aut subtilitatem discriminum, quibus aliae ab aliis differunt. sed ex his omnibus has quas enumerauimus maxime usurpant.

figura coniunctionum duplex est: nam
aut simplices sunt, ut uti si,
aut compositae, ut utinam siquidem.

ordo coniunctionibus accidit, cum quasdam in principio ponere possumus, ut quamquam, quasdam non possumus, sed semper subicimus, ut que ue.

PRAEPOSITIO est pars orationis quae praeposita aliis partibus orationis uim et significationem earum adiuuat.
praepositiones sunt propemodum hae,
a ab cum de di dis per prae in ex inter praeter propter apud penes trans ante sine erga ob subter am con e pro post circum.

certus uero numerus propter difficultatem discriminandorum ab aduerbiis et coniunctionibus significatum non potest comprehendi.

indubitatae tamen praepositiones existimantur
ablatiui casus septem,
a ab de pro ex cum prae.
accusatiuo autem adnexae plerumque aduerbiorum uim habent suntque omnino undecim,
ad per ob post trans apud penes ante propter praeter inter.

utriusque casus sunt duae,
in et sub.

aliae praepositiones numquam ab aliis partibus separantur et non nisi uerbis participiisque et
aduerbiis participiorum iunguntur:
uerbis sic, concurrit recurrit,
participiis sic, concurrrens,
aduerbiis sic, composite requisite disiecte constrictae.

aliae omnino aliis partibus orationis carere non possunt, ut cum apud penes, neque aliis quam casibus
iunguntur, id est nomini pronomini participio, ut cum Cicerone, cum illo, cum dilecto; apud Ciceronem,
apud illum, apud dilectum; penes Ciceronem, penes illum, penes dilectum.
conueniunt autem hae aut accusatiuis aut ablatiuis casibus.

aliae separari aut iungi possunt, ut sub in ex.
separantur hoc modo, sub monte, ex monte, in monte;
adiunguntur sic, subscribit inreperit excurrit.

INTERIECTIO est pars orationis affectum animi significans,
aut indignantis, ut he,
aut timentis, ut hui,
aut recordantis, ut hem,
aut silentium iniungentis, ut ist,
aut immutantis, ut attat,
aut admirantis, ut papae,
aut prohibentis, ut hah,
aut conquirentis, ut ahah,
aut gementis, ut uoi uae,
aut refectionis, ut euax,
aut irridentis, ut bombax babo ua.